UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Francisci Montmorencii E Societate Iesv Cantica Et Idyllia Sacra

Montmorency, François de

Antverpiae, 1638

In conuertendo. Psal. 125.

urn:nbn:de:hbz:466:1-69423

Visual Library

PSALMVS CXXV.

TITVLVS,

Canticum [a] Graduum.

a *Benè* Canticum Graduum *inscribitur: gradientes enim canebant huiusmodi Psalmos, qui ascendebant ad templũ Ierosolymitanum.*

IN conuertendo Dominus captiuitatem Sion, facti sumus [b] sicut consolati:

b *In Hebræo legitur*, sicut somniantes.

Tunc repletum est gaudio os nostrum: & lingua nostra exultatione.

Tunc

ARGVMENTVM.

Dum liber è captiuitate Babylonicâ puellarum Sionidum Chorus ad reditum in Patriam se accingit; carmen hoc Propemptiticon ad lyræ modos decantat. Ac primò per Strophen conuertit se ad DEVM versus Orientem: deinde per Antistrophen contrario motu flectitur ad gentes Barbaras versus Occidentem: postremò per Epodon sistit saltationem.

Strophe á.

NVnc humum pede libero
Nos decet sociæ tundere virgines,
Cùm Deus Babylonijs
Vocat è cataſtis
Ad auita sanctæ
Regna Sionis.
Ergóne certa est noſtra voluptas?
An vanam leue somnium
Portâ mittit eburneâ
Libertatis imaginem?
Vix est vix oculis fides.
Agedum, Puellæ,
Lepido labella
Soluite risu,
Soluite cantu.

Tunc dicent inter Gentes : Magnificauit Dominus facere cum eis.

Magnificauit Dominus facere nobiſcum: facti ſumus lætantes.

Conuerte

Antistrophe.

Persas ô quis habet stupor?
Vt stant attoniti Medus & Æthiops
Ad spectacula tam noua?
Vt Arabs, Cilixque,
Syrus vt vadosi
Potor Orontis
Pollice nobis plaudit vtroque?
Omnes, hæc Deus, inquiunt,
Hebræis facit otia
Largâ munificus manu:
Dux est ipse Deus viæ
Reduci Israëli
Solymas ad arces,
Pinguis ad arua
Læta Segoræ.

Epodus.

Hæc, vt dicitis, otia
Nobis ipse dator lætitiæ facit
Largâ munificus manu,
Adamantinisque
Deus expediuit
Brachia nodis;
Plectant vt modò liberi
Argutas digiti fides.
O salue nimiùm diu
Intermissa chelys! nouum

Conuerte Domine captiuitatem noſtram,
* *Flante Auſtro.* ſicut torrens in * Auſtro.

Qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent.

Euntes ibant & flebant, mittentes ſemina ſua.

Venientes

Age profer hymnum,
Geniale profer
Barbite carmen.

Strophe β'.

Iö dicite, Iö, Iö,
Puellæ celebri luce Siönides,
Quâ fatis melioribus
Iter auſpicamur
Patrias ad vrbes.
Sic ſua grandi
Murmure torrens gaudia prodit,
Quem vinctum rigido gelu
Auſtri diſſoluit tepor:
Sic è montibus vndique
Collectas glomerans aquas
Ruit ille pronæ
Per aperta vallis,
Auſus vtramque
Vincere ripam.

Antiſtrophe.

» *Non eſt perpetuò tenor*
» *Idem ſortis: amat nempe reciproco*
» *Mutari labor otio.*
» *Viden' vt ſecundis*
» *Mala temperentur,*
» *Triſtia lætis?*
Qualis arator ſemina ſulcis

Credit

Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.

Credit anxius, ac timet
Ne putrescat ab imbribus,
Neu saevis Aquilonibus
Intercepta cadat seges:
Neque lux diei,
Neque noctis umbra
Pellit ab aegro
Pectore curas:

Epodus.

Donec condat in horrea
Messes; & Superis vota fauentibus
Serto tempora spiceo
Ferat impeditus,
Hilarisque liba
Dedicet aræ.
Talis Isacidum domus,
Depulso veteri iugo,
Natales redit ad lares
Triumphans; & amaraco,
Hederæque festâ
Cohibens nitentem
Fronde capillum.